S. P. Incidi in quasdam dubitationes ex repetitione prælectionum tuarum honorande D. Præceptor: de quibus, si tibi commodum foret, vel inter deambulandum, vel domi tuæ coram disserentem te cuperem maximoperè audire. 1. Cum in posterioribus Analyticis forma tantum syl. demonstrativi proponatur: quæro cur quis Logices peritus non possit eodem modo ἀναλύειν, quo in prioribus: ita nimirum, ut si ex præceptis demonstrationes novit resoluere, ex ijsdem quoque possit componere. Nam quemadmodum qui in prioribus ἀναλυτικοῖς est institutus syllogismum ratione formæ scit resoluere ac coniungere: ita verisimile videtur, eum qui in Posterioribus est versatus syllogismum demonstrativum ratione formæ ut ad sua principia scit resoluere, sic quoque posse ex principijs, et conditionibus materiæ demonstrativæ ab Ar̃le propositis componere. Ut exempli gratia, ex prioribus ἀναλυτικοῖς scio bonam formam concludendi esse hanc, Omne b est α, at omne γ est b. Ergo etc. Sic ex posterioribus libris teneo bonam formam esse demonstrativi syllogismi hanc, Omne b est α κατὰ παντός, καθ' αὑτό, καὶ καθόλου: At omne γ est b eodem modo κατὰ παντὸς etc. Ergo etc. Tales formales syllogismos ex artis præceptis novimus retexere, ac συνθέσει quadam construere. Quod si verum est, evinci posse videtur, rectè sensisse Græcos interpretes, eum qui ex arte possit retexere, componere quoque posse ex eiusdem artis methodo: sed nō gr̃a. 2. Cum certum sit et ὁμολογούμενον in libris de demonstratione formam tantum tradi syllogismi demonstrativi: quæro cur D. Schegkius et D. Erastus alijque complures scribant, in ijsdem ratione materiæ syllogismum explicari, aut de materia demonstrativi syllogismi tantum agi. Cupio igitur scire quomodo hoc sit accipiendum: et quid eo loco per materiam intelligant. 3. Quia etiam constat præter Græcorum interpretum opinionem τὰ ἀναλυτικὰ rectè dicta esse non à particula illa postrema primi Priorum: sed ut D. Schegkius et D. Erastus longè rectius sentiunt, à methodo ἀναλυτικῇ: cum autem hæc sit duplex: una, quæ in ἀνασυστάσει universali consideratur, qua ut organo elementa et caussæ explicantur omnium scientiarum: seu qua cernitur necessaria cohærentia omnium partium ex quibus notitiæ rerum ἐπιστημονικαὶ coalescunt: altera ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας perspicitur: et nihil aliud est, quam progressio quædam artificiosa à fine propositæ alicuius rei ad inventionem eorum, à quibus finis ille producitur: quæro utrum potius ab hac methodo, sicuti D. Erastus vult, an verò ab illa τὰ ἀναλυτικὰ melius denominentur, ut censet D. Schegkius. Nam quia manifestum est,

ἀνάλυσιν horum librorum conſiſtere ἐν τῷ εὐστόχως διακρίνειν τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος, πεπαιδευμένον, nihilque aliud eſſe quam Vniuerſalem illam παιδείαν καὶ τὴν ἐπιστήμης τέχνην: uidentur ab hac methodo Ἀναλυτικὰ dicta eſſe, quæ in hoc opere ſanè pertractatur. Ab altera uerò methodo διδασκαλικῆς & quaſi εὑρετικῆς ſcientiarum particulari non uidentur inſcribi: quia illa aliena eſt à methodo Dialectica. Deinde uerisimile non eſt illos libros ἀναλυτικοὺς inſignitos fuiſſe ab hac methodo, quam illi non perſequuntur explicando: cum inſcriptiones librorum à materia quam tractant, aut eius præcipuis partibus ſoleant peti. Sed quia Ar(istoteles) ueteres ſæpenumerò teſtatur lapſos eſſe propter ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν: nec ullus ante ipſum de hac generali παιδείᾳ ſcripſit: non immeritò fortaſſis ab hac, quæ ἐν τῇ τοῦ τέλους ἐννοίᾳ conſiſtit, methodo inſcriptionem ſuam ſortiti ſunt hi libri, ut, quemadmodum D. Eraſtus inquit, hoc pacto conſtaret, Ariſtotelem ipſorum autorem eſſe: ac in iis modum illum ſciendi præclariſſimum docuiſſe, & ad poſteros methodo iam dicta conſcriptos propagaſſe. Hæc ſunt, de quibus iudicium tuum audire cupio: Bene uale: ex ædibus noſtris Dionyſianis 11 Iunij: Anno 77

T. Iacobus Chriſtmannus.

Doctiſſimo D. Magiſtro Theo=
philo Madero, & præceptori ſuo
plurimum colendo

Chriſtmannus.